Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26260
Copyright: Admont, Benediktinerstift

iacentes. ab unitate propellunt ecclesie. Cum tunicis lineis.
que deceptores speciem induunt pietatis quo facilius laqueos
tendant. Capita uestra nolite nudare. et rel. Christum uidelicet non
diuidatis qui est caput ecclesie. Illud uero quod de capite uetat au
ferre humanitas Christi est. in qua latebat diuinitas. In duabus
scilicet naturis unum confitemur Christum. Et uestimenta nolite
scindere .i. ecclesie unitatem. Et super omnem cetum et rel. Sepe pro
peccatis prelatorum in subiectos ira prouocatur. Fratres uestri plan
gant incendium et rel. Compassio habenda est propter
equitatem nature. non tamen propter eam quod mali est uiolandum.
Vinum et omne quod inebriare potest et rel. Illi tempore mi
nisterii a poculis prohibentur. nobis numquam surripiat ebrie
tas. qui assidue in sancta conuersatione persistere debemus.
Vt habeatis scientiam et rel. .i. nolite grauari crapula
ut discernendi inter iustum et iniustum. fictum et uerum ha
beatis cum iusto iudicio scientiam. Apostolus namque monet.
Nolite inebriari uino et rel. In quo intellegitur necessitatem
corporis non abdicare quod Tymotheo dicit. Modico uino
utere et rel. sed ebrietatem que hominem mortuo uel amenti
similem facit. que uinum apostatare facit etiam sapientes.
Que locutus est ad eos per manum Moysi. Dominus dictauit et precepit.
Moyses scribendo transtulit. Sic et ac ceteri sancti que intus
spiritu reuelante cognouerunt foris scribendo ad multorum
utilitatem promulgant. Recipit filius Israel .i. doctoribus
ut assumant mysteria que remanserint de sacrificio
in loco sancto ecclesie. iuxta altare .i. memoria passionis
Christi et cetera ut supra. Filii et filie .i. firmi et infirmi eadem sancti
ficatione saluentur. Hircus qui oblatus est pro peccato exustus
inuenitur. Dum peccator non uere poenitens in peccatorum
suorum peste finitur. De quorum interitu dum dominus doctores in
crepat ipsi dicunt manifeste coram nobis in peccata
ceciderunt.